



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sanctimoniali eiusdem Praecursoris dilectrice, cap. 50.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

LIBER OCTAVVS. 301

Priore Claraualis, Priori de Claustro recitata est, à quo ego illam didici.

CAPVT L.

Retulit mihi domina Irmingardis, Magistra de infula sancti Nicolai anno præterito, cuiusdam sanctimonialis bene sibi notæ miram dilectionem erga prædictum Domini Præcursores: plus omnibus sanctis illum dilexit; nec suffecit ei de illo cogitare, illum obsequijs & orationibus honorare, consororibus illius prærogatiuas prædicare, quin etiam, ad perpetuandam eius memoriam, versificaretur de eius annunciatione, natiuitate, & gaudio parentum; litterata siquidem erat, & ideo versibus prosequi studuit, quicquid de illius sanctitate legeret. Omnes etiam personas seculares, cum quibus loquebatur, monuit & rogauit, vt liberos suos Ioannem vel Zachariam nominarent, feminas verò Elisabeth. Cùmque moritura esset, Ioannes monachus de Claustro eam visitauit, sciensque eius affectum circa sanctum Ioanem, ait: Matertera cùm fueritis defuncta, qualem missam vultis vt primùm cantem pro anima vestra, pro defunctis, an de sancto Ioanne Baptista? Ad quod illa sine omni deliberatione respōdit: de sancto Ioanne. Cùmque ad extrema peruenisset, compassa sorori sibi seruienti, ait: Vade soror super solarium, & quiesce modicum: quod cùm fecisset, & leui sopore quiesceret, huiusmodi vocem per somnum audiuit: Quid hîc jaces? sanctus Ioannes Baptista inferiùs est cum sorore Hildegunde. Hoc illi nomen erat. Ad quã vocẽ sanctimonialis expergefacta, neglectis vestibus in çamisia descendit, & iam illam expirasse inuenit. Circa quam tam suauissimus odor erat, vt non dubitaret illic adesse præsentiam sancti Ioannis, qui animam suæ dilectricis choris sociaret Angelicis. Narrauit mihi & aliam visionem, ista adhuc iocundiorẽ, quam sibi à magistra domus, in qua visa est, dicebat esse recitatam.